

EREM,,

8)

DUAS PARTES DISTRIBUTA.

t et futura! Prorsus non edunt,  
mplius dormiunt: nunquam quod an-  
[teā.

i vigiles oblieti ferulae,  
plangunt tempus, fatentur crimina.  
nquam crederem, meis nisi oculis  
em! Ipse confessus est, ipsissimus  
oster Rector, quod nec unquam fecerat,  
sic, ni fallor, mea sententia),  
er ipsis vidi iuvenculos!

sta videns abstinet a lacrimis?  
nil melius.... Sed quid in proximum?  
un si in aedibus nunc est silentium,  
rum sane.... Duxit ad solātium  
t passim solent cum parentibus  
i iuvenes probi et ingenui,  
od caput, remotis satellitibus!  
nt cuncti liberi per aërem;  
nes ultro redibunt ad vesperum?  
am rapaces hi funesti et alites  
nt qui campos et sata devorant,  
et agros visere liberius....  
id fecisset quam Rectorem poenitet!  
tium crepat,... Rector ipsissimus!<sup>1</sup>

## SCENA II.

RECTOR et AMBROSIUS.

Hinc vade recto, nec formicino gradu,  
Tuus qui semper est mos percommo-  
[dus.  
Summas namque aedes ascendas prae-  
[cipio,  
Tuisque observes oculis et lynceis,  
Num forte videas eos iam reduces....  
Omnes simul sient, nec praeter ordi-  
proximum numerum).  
[nem....


t.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Sponsor.


ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



C.DEL VECCHIO.



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

*Alba* (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Fra-*  
*scati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania),  
*NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Sienna*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*,  
*TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

## NUMMARIAE MENSÆ ROMANAÆ RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000 ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensæ moderatoro conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstricatis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae foveanda sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservardis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensæ Nummariae sunt.

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII JACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

Pretium ann.  
march. 1  
FORNARI

SO

Dissi-  
ut aperi-  
incendio  
inter ang-  
dibus bel-  
insolita ia-  
dies exsp-  
tumque p-  
bonae vol-

Si igi-  
nostris at-  
quo altiu-  
quam non-  
ne sub m-  
spei plen-  
universo,  
humanita-  
societaten-

Hac e-  
adibimus.  
suerimus,  
sufficiat,  
fautoribus  
tibus, aug-

Comit-  
norum ne-

PATRO-  
Almae Ro-  
plaria alic-

Socius  
singulos a-  
lar. 2,40;  
libell. 25,

Eia, o-  
vate secu-

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$ ; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○

## SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS.

Dissimili profecto animorum sensu annum hunc MCMXVIII claudimus, quam ut aperuimus. Tum enim Europam omnem, quin imo terrarum orbem belli incendio in dies iam quartum annum prolabente luctu atque moerore affecti, inter angustias omnis generis pressi dolebamus; hodie, armorum fragore, caedibus bellique ruinis, divino quodam ac mirabili nutu ex improviso remotis, insolita iam ac serena cum laetitia adventantes Dominicae Nativitatis sacros dies exspectare possumus, qui angelicam salutationem quasi omen clarum certumque pignus referant: *Gloria Deo in excelsis, et in terra pax hominibus bonae voluntatis!*

Si igitur tristissimis in temporibus, forti, quo par erat, animo in incoepitis nostris audenter perstitimus; si vexillum nostrum submisimus nunquam, imo quo altius licuit pandimus atque excitavimus; vexillum, inquam, et facem, quam non solum ardentem in medio turbine et vortice servavimus, verum etiam ne sub modio quidem reponere passi sumus, nonne divinae simul humanaeque spei plenos hodie esse iuvat, fore ut sub Almae Matris nomine et sermone universo, qui unus fidem, religionem, doctrinam, mores, leges, uno verbo verae humanitatis vitam omnibus loqui valet, latissimam hominum *bonae voluntatis* societatem congregare possimus?

Hac equidem voluntate, hoc studio bonaque mente proximum annum fidenter adibimus. Qua potissimum ratione munus absolvere per ipsum nobis proposuerimus, in proximo numero explanabimus; hodie fideles socios invitare tantum sufficiat, velint ultro et ulterius nobiscum procedere, nostraque agmina novis fautoribus, dico etiam et fortasse melius, novis pacis exultiorisque vitae militibus, augere.

Comitatus noster - ne grave sit meminisse - bifariam distribuitur, Patronorum nempe et Sociorum.

PATRONUS est qui summam saltem italicarum libellarum centum quotannis *Almae Romae* commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

SOCIUS sive simplex, prout vulgo dicitur, est, sive *bene meritus*. Alter in singulos annos solvit, si in Italia libell. 9; extra Italiam ubique libell. 12 (dollar. 2,40; sc. 10; pes. 12; rubl. 4 $\frac{1}{2}$ , etc.). In ordine altero ii recensentur, qui libell. 25, aut externae pecuniae iis aequantem summam obtulerint.

Eia, o socii et lectores humanissimi, nobiscum *durate, et vosmet rebus servate secundis!*

ALMA ROMA.

## De antiqua Christianorum Lingua<sup>1</sup>

Ad nova rerum saecula hominumque necessitatem, de quibus alias disseruimus, minime forte respererunt doctissimi illi viri, qui florentes, post renatas apud nos litteras, labente saeculo decimo sexto, ingenio studiisque graecis atque latinis, Italicorum gloriam sapientia instaurarunt. Hi enim, quos vulgo passim *Humanistas* appellamus, antiquis litteris maxime polentes, earumque puritatem plus aequo vindicantes, Ciceronem in primis adambant, eique ita mordicus adhaerebant, eiusque verborum elegantiam sententiarumque sublimitatem colebant, ut omnino repellerent ab se ac tamquam imperfectos barbarosque reputarent, quotquot vel tantillum ab eius castitate sermonis recedenterent. Et minima verba ab scriptoribus sequioris aevi usurpata superbe repudiabant. Ac propterea, si quis latinum sermonem vellet in scribendo usurpare, hanc omnino sententiam amplexari debebat.

Hinc quot deliramenta! Tunc illa scriptorum portenta extiterunt, qui ea tempestate ad caelum tollebantur, nunc vero risum cum indignatione excitare consueverunt. Ex eorum iudicio, Virgo ipsa et Mater Dei Augusta, quam omnes antea scriptores, latina lingua inoffensa, uno ore Mariam appellare ritę meritoque crediderant, horum pravo iudicio *Nympha candidissima* salutanda erat. Ad haec, Sanctissimam Trinitatem *Triforme Numen Olympi* nuncupandam esse, Ciceronem secuti, gravi supercilie statuerunt; et ipsum Deum, incredibili pravitatis audacia, *Deorum maximum Rectorem* dicendum esse decreverunt.

*O miseras hominum mentes, o pectora caeca!*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Octobr. sup.

Alia admodum fuit Romanorum Christianorum antiquioris aevi sententia!

Religio enim christiana efflorescebat ex ipsis iam populi visceribus, maximeque suo decore se ipsa sustinebat; et ut opibus civium firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute quoque sua honesta visa est.

Verum si discipuli Apostolorum, magna animi voluptate, de vita et doctrina Iesu Christi fusius disserentes audiunt, et in ipsis meditandis toti sunt vel in aedibus suis, attamen fas est mente arguere, ut pietatem colerent, quidquid ea tempestate iam scriptum fuerit, alacriter lectitasse. Hinc in eorum commodum et disciplinam sanctus Lucas, medicus clarissimus, idemque Pauli alumnus, ex eius consilio, Evangelium graeco sermone exaratum edidit, atque haud ita multo post, eadem lingua, qua maxime callebat, Petri magisterium, Sanctique Pauli Apostoli conversionem, persecutiones, peregrinationes et eius denique in Urbem adventum, graphice descriptis.

Verum, lauiores viri vel ea tempestate non solum orationis elegantiae studebant, sed in domestico usu et quotidiano sermone litteras graecas in primis adambant, quia tunc temporis Romae publice graeca lingua doceri et impensiscoli coepit erat.<sup>1</sup> At non omnibus erat eadem lingua familiaris. Plebs enim romana, uti constat apud omnes, in sermone familiari illam urbanam linguam elegantiorem minime usurpabat, quae in huius aevi scriptoribus elucet, sed quadam lingua utebatur minus compta, quam veteres grammatici sermonem rusticum appellare consueverunt.

Hinc necessitas peculiari quadam ratione adfuit, ut in latinum sermonem verteretur quidquid Deus populo suo ad sanctitatem obtinendam antiquitus communicaferat. Quo nomine divina veluti vir-

gula excitatus, exstitit divinissimus ille Liber qui *Vulgata*, honoris ergo, vulgo appellatur. Hoc enim volumen, « haud equidem sine mente, reor, sine numine caeli » fuisse divinitus exaratum omnes profitentur. Et illico magna discipulorum cupiditate callide legi manibusque omnium teri coeptum est. Quam facile, quam celeriter currit narratio! Atque adeo ita subito, omnium iudicio, probatur, ut quemadmodum Hirtius de I. Caesaris Commentariis scripsit, praerepta non praebita facultas aliis scriptoribus videatur. Et sacer divini eloquii sermo ubique animos, simul ipsarum sententiarum maiestas, peradvent.

Cuius tamen rei maior nostra quam reliquorum est admiratio. Ceteri enim quam bene atque emendate, nos etiam quam facile illud transcripserit, scimus. Quae critici passim notarunt, suspectam quidem sermonis aevi Augusti puritatem, at scriptoris laudem in iis, quae ad temporis indolem referendam pertinent, nihil penitus imminuunt auctoritatem, quin imo, mea sententia, augent. Qualibet aetate, huiuscet sancti libri latina traductio inter praestantissima aetatis testimonia habita est, quae statim ex communi eruditorum iudicio, post Augusti excessum, in Urbem invecta est. Hic quodammodo tunc temporis inter cives vigebat usus, sic populus loqui consuevit. Cuius latinitas, si paullisper ab classica, quam dicunt, eloquentia cedit, imaginem sane sui temporis nobis graphiche exhibit. Est enim, apertissime fateor, ita facilis ac plana, perspicua, et nativa quadam simplicitate sponte fluens, ut indetirones romanam sequioris aetatis loquendi consuetudinem haurire possint.

Ad haec dum in profanis scriptoribus, cuiusdam lasciviae flosculi, poëticus decor et acumina quaedam sententiarum occurserunt, quae senescentem illam aetatem produnt, in qua plus artis et curae, quam inaffactati candoris scriptoribus inesset;

placet suavissima illa rerum narratio ac sententiarum copia, ut pueri romani passim alloqui consueverunt.

O paeclarum ad bene vivendi et aper-tam et simplicem et directam viam!

(Continuabitur).

I. B. FRANCESIA.

## De Christi nati scientia

Festa imminent, quibus incarnati Verbi mysterium recolitur; mysterium, inquam; nam ille idem, qui iacet in praesepio, in nubibus tonat; qui sine loquela infans nascitur, scientiam habet vocis et omnia prorsus novit; qui didicit ex iis quae passus est oboedientiam,<sup>1</sup> in eodem sunt thesauri sapientiae et scientiae absconditi.<sup>2</sup>

De scientia igitur Parvuli qui natus est nobis sermonem texere iucundum erit, atque opportunum quam maxime, quum exortae fuerint aevo nostro lites, quas compescere voluit sacer ille Purpuratorum Patrum Coetus, qui dogmatibus et moribus tuendis paeest. Die quippe 7 Iunii 1918 respondit *non posse tuto doceri* propositiones quae sequuntur:

« I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.

« II. Nec certa dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

« III. Placitum quorumdam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universalis».<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Hebr., V. 8.

<sup>2</sup> Colos., II, 3.

<sup>3</sup> Act. Apost. Sedis, 1 Iulii 1918.

Quod decretum ut intelligatur et vindicetur, exhibendus est brevis conspectus doctrinae catholicae de scientia animae Christi.<sup>1</sup>

\*\*

Effatum est celeberrimum et in theologicis disciplinis receptum: *Ea quae pertinent ad naturam in Christo geminari debent.* Hinc, quia duplex in Christo viget natura integra, divina scilicet ac humana, dupli quoque operatione et scientia, divina et humana, gaudere debet.

Divina scientia nullatenus illi potest deesse, qui est Deus de Deo, lumen de lumine.

Inesse autem scientiam creatam et humanam ex Evangelii locis manifeste colligitur, quibus Christus dicitur misis et humilis corde<sup>2</sup> vel pernoctans in oratione Dei,<sup>3</sup> etc.; nam humilitas et oratio cognitionem mentis arguunt, qua quis Dei iura profitetur et Deo superiori se subiicit.

Definit Ecclesia, in concilio Constantiopolitano III, an. 680-681, duas esse in Christo *naturales operationes, δύο φυσικά ἐργα.*<sup>4</sup>

Quae verba nullatenus censeri possent vera, si Christus prima naturali operatione, quae est intellectio, careret. Ceterum, evincit ratio animam humanam in Christo, utpote prae omnibus perfectam, non posse scientia privari, quae est eius corona.

Exponit autem S. Thomas<sup>5</sup> scientiam creatam in Christo referre modum quidem *divinum* per scientiam *beatam*, modum vero *angelicum* per scientiam *in-*

<sup>1</sup> Rem fuius exponimus in opere nostro: « *Le My*sterie de l'Incarnation, Paris, Téqui.

<sup>2</sup> MATTH., XX, 29.

<sup>3</sup> LUC., VI, 12.

<sup>4</sup> DENZINGER, 291-292.

<sup>5</sup> Cf. S. THOM., III. P. q. IX-XII.

*fusam*, modum denique *humanum* per scientiam *acquisitam*.

De scientia infusa vel acquisita disputari libere potest, moverique solent quæstiones, quas dirimendas non curavit Ecclesia; at unius mentis uniusque labii fuerunt scholastici doctores in asserendatum existentia, tum universali extensione scientiae *beatæ*, quam praefatum Decretum tueri et vindicare intendit.

Christum ergo fuisse a primo instanti scientia beata donatum, est doctrina in Ecclesia ita communiter recepta, ut aliter sentire dicatur a Suarezio temerarium et haereticae pravitati proximum.<sup>1</sup> Iuxta Salmantenses,<sup>2</sup> si abstrahatur a tempore quo habita fuerit illa visio, de fide est fuisse in Christo inter homines degente beatam scientiam.

Licet Patres et Concilia de illo argumento non diserte edisserant, implicite tamen Dei visionem Christo concedunt, dum volunt ipsi fuisse inditam ab initio tantam donorum supernaturalium copiam, ut haec in summo gradu possideretur. Non autem gratiae et veritatis plenus diceretur qui non intueretur Veritatem primam, Deum.

Id plane confitetur sensus catholicus, seu, ut ait Petavius, « admirabilis in eo christianorum doctorum pariter imperitorumque consensio. Nam nemo hactenus bona fide christianus, id est catholicus scriptor, exstitit, qui de Christo aliter existimaret ».<sup>3</sup>

Plures Evangelii textus non possunt pleno sensu nisi de beata visione explicari: « Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ».<sup>4</sup> - Qui de caelo venit super omnes est et quod *vidit* et *audivit*, hoc

<sup>1</sup> Cf. SUAREZ, *Disp. XXV*, sect. I.

<sup>2</sup> SALMANT., *Disp. XVII*.

<sup>3</sup> PETAV., *Lib. XV*, c. IV.

<sup>4</sup> IOAN., I, 18.

testatur.<sup>1</sup> - Ego quod *vidi* apud Patrem meum *loquor*.<sup>2</sup>

Hinc efficax eruitur argumentum: Christus, ut homo, est *testis* eorum quae enarravit de Patre, *viditque* ipse quae sunt apud Patrem. Visio porro huiusmodi non est scientia acquisita vel infusa, quae fidem nondum excludunt, sed immediatus intuitus. Crescitque vis argumenti si recognoscatur Christum, non solum videre quae sunt apud Patrem, sed Patrem videre: « Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic *vidit* Patrem ».<sup>3</sup> Iamvero Patrem videre est intueri personarum relationes inter se, quae est ipsa Trinitatis visio.

Demonstratio efficax ex eo repetitur, quod Christus *conscius* sit suae divinitatis, seu unionis cum Deo: « Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum; quia *scio* unde veni et quo vado ».<sup>4</sup> Scit igitur ille Christus qui Iudeis loquitur originem suam a Deo, scit nempe se a Deo exivisse, ut postea tradit: « Ego a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum ».<sup>5</sup> Verum ipse habet processionem a Deo ratione unionis hypostaticae. Ergo unionem illam novit ac videt. At visio unionis hypostaticae intuitum divinitatis innuit; nam videre unionem est intueri divinam personam, in qua ipsa unio peragitur. Unde, quum sit Christus plene conscientius unionis hypostaticae, intuitu, seu immediata Dei visione gaudet.

\*\*

Suppetunt aliunde congruae rationes, quas evolvit Doctor Angelicus, quaeque sic perstringi possunt:

<sup>1</sup> IOAN., III, 31, 32.

<sup>2</sup> IOAN., VIII, 38.

<sup>3</sup> IOAN., VI, 46.

<sup>4</sup> IOAN., VIII, 14.

<sup>5</sup> IOAN., XVI, 27-28.

Christus fuit ab initio caput et rex hominum et angelorum. At caput debet actu sibi habere dotes membrorum et rex perfectiones subditorum. Debuit ergo Christus ab initio perfectione illa summa ornari, qua subditi, nempe angeli, iam potiuntur, scilicet visione beata.

Praeterea, Christus ab initio est haeres naturalis, utpote filius per naturam; ac subinde ius habet ad haereditatem divinam, seu beatitudinem, illamque actu possidet, simul ut haec est possibilis adeptu. Porro, licet non fuerit conveniens beatitudo corporis ab initio, ne impediretur finis Incarnationis per passionem, possibilis tamen adeptu, imo et convenientissima, fuit visio beata in anima illius, qui iam est rex et caput omnium.

Denique, quia esse et operatio proportionantur, oportet ut natura, quae est ad esse summum evecta, eliciat quoque operationem summam, quae possit creature tribui. Quum igitur ab initio fuerit Christi humanitas ad esse summum per unionem hypostaticam elevata, debuit quoque ab initio elicere operationem summam, quae creature sit communicanda, scilicet beatam visionem.

Quocirca potuit iure merito S. Officii Congregatio oppositam sententiam profigare. Constat igitur, seu theologice est certum, imo, ut plures autumant, fidei proximum, fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.

Quemadmodum autem gratia naturam non destruit, sed perficit, ita scientia beata acquisitam et experimentalem non eliminat nec elidit, sed altius evehit, dirigit et corroborat. Sicut enim angeli, qui semper vident faciem Patris qui in caelis est, operationem naturalem depromunt et totam vim innatam exserunt, sicut homines beati post resurrectionem simul cum immediato Dei intuitu actus quoque humanae cognitionis elicient; sic anima Christi

Deum intuendo, simul, per operationes intellectus naturales, sibi humanam pariebat scientiam.

Admittenda est igitur illa scientia naturalis seu acquisita, ut litterali sensu exponantur verba quae admirationem vel realem in sapientia progressum Christo adscribunt: nam admiratio arguit cognitionem novi, scientiae autem progressus, qui comparatur profectui *in aetate*, importat realem notitiam, quae proprio marte acquiritur.

Denique, valet pulcherrimum effatum, quod sancti Doctores mirum in modum efferunt, Verbum divinum, humanitatem assumendo, *omnia assumpsisse quae in natura nostra plantavit*.<sup>3</sup> Porro et intellectum plantavit et intellectivam operationem. Ergo haec omnia assumpsit.

Quocirca huius rationis est scientia beata, ut et mentem quasi divinam efficiat, et vim eius naturalem totam relinquit, augeat et perficiat.

Quum ergo integra sit scientiae beatae et scientiae naturalis seu acquisitae consensio, superest ut de illius visionis *extensione universalis* habeatur sermo, et ad alteram Decreti propositionem fiat gressus; quod quidem ad alium numerum delegamus.

EDUARDUS HUGON, O. P.

<sup>1</sup> MATTH., VIII, 10.

<sup>2</sup> «Et Iesus proficiebat *sapientia et aetate*, et gratia apud Deum et homines». LUC., II, 52.

<sup>3</sup> De hoc effato cf. S. IOAN. DAMASC., *Orthod. Fid.*, lib. III, c. VI, P. G., XCIV, 1005; et S. THOM. III, P. q. IX, a. 4.



*Quidquid habet ortus, finem timet. Ibimus omnes. Ibimus: immensis urnam quatit Aeacus umbris.*

STATIUS, Silv. II, 1.

## SCRIPTURAE DIURNAE SPICILEGIUM

### De Nationum Societate.

Demonstrat in *La Croix* Parisiensi ephemerede (die Octobris mensis decimo octavo) G. de Lamarzelle, senator, inaniter eos aliam gentium, qui perhibent, Societatem condere velle, quam ipsam, quae «ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis et linguis»,<sup>1</sup> ex quo «et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est»,<sup>2</sup> assidue nova per Christum aedificatur Ierusalem, Civitas Dei, catholica Ecclesia.

Pacem, cuius ad nos incedit per victoriam dies, non gloriosam modo omnes, sed firmam volumus. Firmari autem neutquam, aiunt, posse, nisi constituta gentium Societate. Congregatae autem post bellum nationes, de placide omni lite sua ventura componenda, legem inter se constituent, quae necessario communi exorta habebit omnium civitatum consensu effectum. Illa ergo pax universalis et in aeternum erit.

Gentium ea erit Societas. At equidem in (Nephelococcygiae) nubibus. In terram vero est deducenda, et de conditionibus secundum quas demum fieri possit, aequo animo examinanda.

Sunt itaque de illa lege communicaturae inter se gentes; sed quo modo, et per quos primum? Per designatos a civitatum rectoribus procuratores? Quod quum ita sit, tunc ex hisce legationibus legumlator fiet. Legationes porro non eis adeo sunt gratae, qui gentium favent Societati. Hi praeterea suo nativo principio apti, rei suae administrandae fabricationem

<sup>1</sup> Apoc., VII, 9.

<sup>2</sup> Act., X, 45.

volunt ante omnia popularem. Contionalis ergo consessus gentium procurabitur Societati, qui constitutiones eius et iura condet. Quem conventum, sermone insigni ac praestantissimo, in *La Revue des deux mondes* (Kal. Nov. 1916), D. Hanotaux «universalia Rostra» vel «Comitia» quoque «orbis terrae» nominavit. Iugiter haec Contio sedebit.

Unde emanabit? Haud ab alio, popularis quum sit, quam universali, sive recta, sive per singularum cuiusque civitatis Curiarum delegationem, suffragio potest exire.

Ecce ergo congregati in una curia popularum omnium electi. Oportet ut se invicem intelligent. Linguis autem alii loquuntur aliis. Rostra - Babel dicent, qui peiora; at qui meliora vident, quum is commentitius, cuius a *sperando* nomen, sermo vicerit, processura recte omnia confidunt. Verum hoc praetereamus. Non enim illic maxima est sita difficultas.

Summa enim difficultas haec est. Multa populorum per sequestres agentium negotia sunt contraria, ex quorum conflictatione orta, ad dirimenda videlicet certamina, nationum considunt Oratores. Quorum negotiorum, si minora modo se habent, non ita difficilis erit expedita ratio, nec tantae quidem, ad id consequendum, amplitudinis est opus institutione. Hagensis huic labori sufficit Consensus, nec est negare qui cogitet, vera iam in re tali, et insignia, esse ab eo praestita beneficia. Sed quum de iis, contra, quaestionibus certamen orietur, quibus magnitudinis, futuri, vitaeque ipsius suae faciat gens periculum, tunc minime, tali in re, concedet, si petunt ab ea iacturam. Cras sicut hodie resistet, quam circa et aliarum, de utilitate aut aequitate sua, nationum glomerabuntur procuratores. Et sicut in omni popularium Oratorum conventu, de omni re alicuius momenti, adversarius minor erit nec aliquando tamen parvus, aliterque maior numerus.

At, inquiunt, sicut Oratorum in omni consilio, lex voluntas plurium erit, ei preferenda nationi, cuius placherit causa minus. Sit ista quidem lex: verum istic non privato et legi subiecto, sed liberae contra et dominae sui ipsius est imponenda civitati, quae si imperata fecerit, si decreto obtemperaverit, quod gentilem ipsius conditionem ipsa iudice in periculum devocet, se suimet dominatu abdicabit. Id numquid admittet? Non. Si valere satis se sentit, quae per vim possit resistere, per vim resistet; ecquae autem mens amans patriae annuat illi obiurgari?

\*\*

Quem casum per vim decreto gentilium Oratorum resistendi, quum negare nequeant, nationum qui favent Societati, ne dum negent, immo praevident. Si qua civitas, aiunt, vi resistere nationum voluerit Societati, in oboedientiam vi redigetur a nationum Societate.

Ad bellum ergo reversi sumus, quod illo instituto in aeternum voluerunt occidere! Et exercitum necessario nationum Societati in promptu esse semper oportebit. Quomodo is exercitus ordinabitur? Imperator quis erit? Ubi castra?

Faventes nationum Societati omnes, qui quaestionem illam paulo curiosus voluerunt urgere, quum solvi eam minime in opere posse mox intellexerint, et quoniam fabula inter gentes esset apparitura, credere sese, ad calcitrantem cogendam castigandamque civitatem, «communi et obligatoriae publicorum ex foederatis civitatibus universis exercituum actioni» decreverunt. Exercitum ergo perpetuorum excidium vale! Hic et eam nubem ventus resolvit rei ipsius.

Quae quidem quum ita sint, an exercitus sui compos absolute manebit unaquaeque civitas?

Et aliqua resistente, in calcitrantem domandam, exercitus, num concedet, e

civitatibus ceteris, operam unaquaeque sui? Rei verae plus aequo non est utique amator, quin respondeat: « Se armis concedet immiscere, cui proderit; non, cui contra ».

Nonne porro, hac absoluta exercitus omni populo sustentandi necessitate, ruere istam vident rationem? Quo enim facto, in ea civitate, cuius cum rectoribus populus quoque imperare orbi cogitet, immodica cito renascetur res militaris. Ne gabunt autem dicentes, certum praefiniendum a Societate gentium socio unicuique suo militum fore numerum, quem excedere erit illicitum. Heu! Nonne Napoleonis habemus exemplum, qui post Ienam tali lege Borussos obligaverat? Quid inde? Exortum scimus « armatum populum » Germanicum.

Adversus haec sane non praetermittent dicere: « Profecto non fallent mala quae presagis evenire, si foederatarum meditetur ante omnia, ut ponis, utilitati suaे unaquaeque nationum satisfacere. Sed contrarius is est, quo tendimus, finis: nationum enim constitutam volumus ita Societatem, ut singulae, quae illam efficient, civitates, ius ante omnia cupiant, et cum quidvis, tum singularem maxime utilitatem, posteriorem habeant iuris verecundia et imperio ».

Pulcrum quidem id somnium, sed, saeculi ut adsunt mores, nihil aliud quam somnium. Quod ut in qualibet hominum fieri possit societate, singulos oporteret, quum hoc verbum « ius » pronuntiant, non primo sibi, sed sui similibus consuere, et confirmandum quaerere ius ante omnia alienum; ius, quod vero suo nomine « officium » appellatur, scilicet multo magis, ut aliter dixerim, officia quam iura sua curare. Id autem efficere profecto nequit asseverata a plerisque nationum Societati faventibus doctrina, quippe quae ius modo suum quemque doceat hominem, et a qua singulis suimet ipsius proveniat factio-

immodka, universis emergendi libido, societatum virulentus morbus.

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

## ALSATIAE LIBERATAE

*Durum passa iugum, tu mea nobilis  
Tellus Alsatiae, iam caput erige;  
luctum pone, triumpha  
tanto libera pondere!  
Audi: Rhenus ovans plaudit, et assonat  
silvoso Vogesus, collis et uvifer  
quivis, arvaque plana  
late consita triticum.  
Aes sacrum resonat cominus, eminus;  
Argentina, suâ Turre superbiens,  
clangit prima; sequuntur  
turres undique tinnulae.  
Implet tempa canor qui ferit aethera;  
voces mille Deo, flantibus organis,  
vibrant Ambrosiano  
actas carmine gratias.  
Salve, dulce Solum tu mihi patrium,  
cui vexilla nitent pristina Galliae,  
furtim culta domorum  
imis in penetralibus.  
Alma ex Urbe tibi gratulor; excipe  
laetans armigeros, qui tua vincula  
confregere; ducemque  
gaudens excipe Fochium.  
Forti plaudere viro, vix numerabiles  
docto Teutonicas vincere copias;  
fido plaudere sacrarum  
cultori simul Aedium.  
Victis Este procul! dic legionibus;  
quae longinqua ferant in loca tetricas  
frontes, atque minacem  
summâ in casside cuspidem.*

*Tu, Wilhelma sile nunc Academia!*<sup>1</sup>

*doctoresque tuos redde Borussiae;*

*rursus trade latinam,*

*plena luce, scientiam.*

*Victrix at caveas, Gallia, laedere*

*altum, quem pietas indidit Alsatis,*

*sensum religionis,*

*pacis pignora publicae!*

FRANC X. REUSS.

<sup>1</sup> Hoc datum est nomen Academiae Argentinensi, ante cuius aedes a Germanis erecta fuit statua Lutheri!

## VETERA ET NOVA

**De hodiernis machinis bellicis  
quae vulgo tanks appellantur.**

Quaesitum est a me, quomodo latine dici posse crederem machinam bellicam iam omnibus notissimam, quae ab Anglis, qui eam invexere, tank est appellata, non menque brevi in communem usum ad ductum vidit.

Si eiusdem vocabuli significationem inspiceris, eandem eam esse invenies quam italicum *serbatoio*, *cisterna gallicum réservoir*, *pièce d'eau*, *citerne*, *hispanicum alberca*, *cisterna*; teutonicum *bahälter*, *cisterne*; quibus latinae voces respondent *vivarium*, *cisterna*, *castellum*. Nomen autem machinae ab Anglis ea de causa datum esse dictitant, ut eius finem, antequam bellicam suam actionem susciperet, in fabricatione celarent. Scilicet nihil aliud esse illae machinae apparebant, quam immania vasa, quibus aqua ad copiarum usum in Aegypto atque Mesopotamia dimicantium transportaretur.

Atqui, si nec *vivarium*, nec *cisterna* quum de bello latine scribendum nobis fuerit, satis ad rem sufficere sine ambiguitate mihi videntur, non idem fortasse erit

de *castello*, quod verbum sensum primum militarem atque, ut ita dicam, oppugnam tem habet. Castellum enim appellabatur « locus militari opere munitus constructo aggere vel muro cum fossa, quasi parvum castrum... quia in eo milites ponuntur ad custodiam regionis ». <sup>1</sup> Hinc, et fortasse ex eius forma, significatio altera devenit receptaculi aquarum in aquaeductibus, ex quo aqua ex communi ductu per fistulas in varia loca distribuitur.

Scio equidem castella loca fixa fuisse, in agris constructa contra hostium excusiones, aut in finibus imperii, ut eorumdem aditus prohiberetur, et per ipsum castorum vallum congruis in locis, quo facilius defendi posset. At si phrasi usi fuerimus « admovere castellum » aut simili, ecquis non intelligat de machina bellica agi, castelli ad instar munita?

\*\*

Haec vero, si a « versione litterali » vocabuli *tank* recedere nolimus; sed si rem intimius perspicere libeat, atque latine magis et acriore vi reddere, *tank* ipsam hodiernam non longe a *testudine* locatorum, ita ut et ipsius nomine nuncupare non dubitaverim.

Constat inter omnes, Romanos solitos esse res bellicas, machinas nempe et tormenta, ex animalibus nuncupare. Huiusmodi fuerunt *aries*, *cuniculus*, *musculus*, *onager*, *scorpio*, ipsaque *testudo*, quo nomine generatim machinas significarunt, quibus milites tuto tegerentur, ad hostium moenia sive propugnacula per vim appropinquantes. « Probabile est - inquit Lipsius - <sup>3</sup> primo exiguae quasdam levesque repertas, paullatim ornatas et auctas, donec genera plura facta sint et formae ». Numne, si diebus nostris viveret, addisset: « ut in *tankis* illis, quae cum ma-

<sup>1</sup> VEGET., III, 9.

<sup>2</sup> « Appellatur autem castellum quod altius cetero opere assurgit et latius extenditur ut militaris castelli figuram referat ». FORCELLINI, lex Festo, voc. *Castellum*.

<sup>3</sup> Polyorc., lib. I, dial. VII.

xima rerum et hominum pernicie late adhibita in hodierno bello videmus?».

Est enim in nonnullarum testudinum descriptione, quae apud Vitruvium legitur, ea cum nostris *tanks* relatio, imo connexio, quam fortasse nemo unquam cogitaverit. Ipsi vos, lectores, iudicetis.

Testudo aggestitia, id est ad congestiōnē fossarum parandam, ita a Vitruvio delineatur (lib. X, cap. 20): « Testudo, quae ad congestionem fossarum paratur, eaque etiam accessus ad murum potest habere, sic erit facienda. Basis compingatur, quae Graece ἑσχάρα dicitur, quadrata,<sup>1</sup> habens quoquoversus latera singula pedum XXV et transversaria quatuor. Haec autem contineantur ab alteris duobus crassis. F. S. latis. S. distant autem transversaria inter se circiter pede et S. supponanturque in singulis intervallis eorum arbusculae, quae Graece ἀμαξόποδες<sup>2</sup> dicuntur, in quibus versantur rotarum axes conclusi laminis ferreis. Eaeque arbusculae ita sint temperatae, ut habeant cardines et foramina, quo vectes traecti versationes earum expediant, uti ante et post, et ad dextrum seu sinistrum latus, sive oblique ad angulos opus fuerit, ad id per arbusculas versati progreedi possint. Collocentur autem insuper basis tigna duo, in utramque partem porrecta pedes senos, quorum circa projecturas figantur altera porrecta duo signa ante frontes pedes VII crassa et lata, uti in basi sunt scripta. Insuper hanc compactionem erigantur postes compactiles, praeter cardines pedum IX crassitudine quoquoversus palmipedales, intervalla habentes inter se sesquipedis. Eae concludant superne intercardinatis trabibus. Supra trabes collocentur capreoli

<sup>1</sup> Quadratam indicat Vitruvius, sed etiam oblongam eam construi in usu fuisse, ex illo Caesaris (*Civ. II*) deducimus: « Antecedebat testudo, pedum sexaginta, aquandi loci causa facta, ex fortissimis lignis, involuta omnibus rebus quibus ignis iactus et lapides defendi possunt ».

<sup>2</sup> Hoc est « curruum pedes », quia iis tanquam pedibus movebantur. Arbuscula fuisse videtur lignum, seu trabecula erecta habens in imo cavitatem, eique insertam rotam cum suo axe; in summo foramina duo, per quae traicerentur vectes versandi causa.

cardinibus aliis in alium conclusi, in altitudine excitati pedes IX. Supra capreolos collocetur quadratum tignum, quo capreoli coniugantur. Ipsi autem laterariis circa fixis contineatur; teganturque tabulis maxime palmeis si non ex cetera materia, quae maxime habere potest virtutem, praeter pinum aut alnum. Haec enim sunt fragilia et faciliter recipiunt ignem. Circum tabulata collocentur crates ex tenuibus virgis creberrime textis, maximeque recentibus, per crudis coriis duplicitibus consutis, factis alga, aut paleis in aceto maceratis: circa tegatur machina tota. Ita ab his reiicientur plagae balistarum et impetus incendiorum ».

Sed praestat et de aliis testudinibus artificia apud ipsum auctorem perlegere: « Non mihi etiam videtur esse alienum de testudine, quam Agetor Byzantius fecit, quibus rationibus sit facta, exponere. Fuerat enim eius basis longitudo pedum LX, latitudo XVIII.<sup>3</sup> Arrectaria, quae supra compactionem erant quatuor collocata, ex binis tignis fuerant compacta... Basis eius habuerat rotas orto quibus agebatur, fabricatae triplici materia, alternis se contra subscudibus inter se coagmatae, laminisque ferreis ex frido dutis obligatae. Haec in arbusculis, sive hamaxopodes dicantur, habuerant versationes. Ita supra transtrorum planitem, quae supra basim fuerat, postes erant erecti... supra eos trabes circumclusae continebant totam compactionem. Supra eam capreoli extollebantur... Supra capreolos tignum collocatum coniungebat capreolorum compactiones Item fixa habuerant lateraria in transverso, quibus insuper contabulatio circumdata contegebat inferiora. Habuerat autem medium contabulationem supra trabeculas, ubi scorpiones et catapultae collocabantur. Erigebantur et arrectaria duo compacta... coniuncta capitibus transversario cardinato tigno, et altero mediano inter duos scapus cardinibus

<sup>1</sup> Lib. X, c. XXI.

<sup>2</sup> Ex Athenaeo.

<sup>3</sup> Scilicet haec machina forma oblonga erat.

nato et laminis ferreis religato: quo insuper collocata erat alternis materies interscapos et transversarium trajecta cheloniis<sup>1</sup> et anconibus firmiter inclusa. In ea materia fuerunt ex torno facti axiculi duo, e quibus funes alligati, retinebant arietem. Supra caput eorum qui continebat arietem, collocatum erat pluteum thoraculæ similitudine ornatum, ut sine periculo milites duo stantes perspicere possent, et renunciare quas res adversarii conarentur ». Descripto autem ariete, prosequitur: « Ex quibus autem funibus pendebant eorum capita, fuerant ex ferro factae quadruplices catenæ, et ipsæ coriis crudis erant involutæ. Item habuerat projecta eius ex tabulis arcam, compactam et confixam rudentibus maioribus extensis, per quarum asperitates non labentibus pedibus facilis ad murum perveniebatur. Atque ea machina sex modis movebatur, progressu, item latere dextra ac sinistra; porrectione non minus in altitudinem extollebatur et in imum inclinatione demittebatur. Erigebatur autem machina in altitudinem ad disiendum murum circiter pedes C. Item a latere dextra ac sinistra procurando, perstringebat non minus pedes C. Gubernabant eam homines C, habentem pondus talentum quatuor millium, quod sit CCCCLXXX pondo ».

Quibus positis, quumque testudo sive ex fine, sive ex tormento bellico, quo potissimum uteretur, qualificationem acciperet; fuitque aggestitia, prout vidimus, fossoria, arietaria, etc., ecquid vetuerit tank nostram ballistariam testudinem appellari?

\* \*

Dummodo ne quis maluerit ei nomen helepolis illius tribuere, de qua Vitruvius quoque loquitur in eodem lib. X cap. XXII; veluti turrim vero eam designans, <sup>2</sup> dum

<sup>1</sup> Philander docet chelonia esse velut umbilicos aut ansas, quae affiguntur arrectariis, in quas, cœu in armillas, coniecti sucularem cardines versantur: atque ita dicta esse a similitudine tegumenti testudinis, quae χελώνη dicitur » (FORCELLINI, op. cit.).

<sup>2</sup> Ait enim: « Is autem comparavit helepolim sumptibus immanibus, cuius altitudo fuerat pedum

Ammianus tamquam testudinem describit. Haec enim Ammiani verba sunt: « Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata, et contegit coriis bubulis virgarumque recenti texture, atque limo asperguntur eius suprema, ut flammeos detrectet et missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcae cuspides praeacutæ ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, ut quidquid petierit aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis et funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: et nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus, aditus patefacit ingentes ».

\* \*

Haec autem de hodierno arguento satis sint; quamvis de machinis, quae tanks per saecula praecurrerunt multa dici possint, neque minora certe iis, quae de subaquea navigationis experimentis alias enucleavimus. Sed hisce limitibus rem perstringere placuit, ut et ipse aliae paci tandem adventanti morem gererem. Quin imo ad spem erigor, fore ut de bellicis rebus quibuslibet nihil in posterum scribere mihi unquam contingat.

I. F.

CXXV, latitudo ped. LX. Ita eam cilicis et coriis cordis confirmavit, ut posset pati plagam lapidis ballista immissi pondo CCCLX », etc.

<sup>1</sup> Lib. XXIII, 4.

## PRO JUNIORIBUS

### De urbanis moribus.<sup>1</sup>

Convivas invitationibus laceſſere dicendo: « Nihil igitur hodie comeditis »; vel: « Nullus cibis vobis placet »; vel: « Gustate hoc, vel

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

illud »; mihi quidem non probatur, licet plerisque usitatum. Quamvis enim ita agentes ostendant curam se convivae habere, causa tamen sunt persaepe cur verecundus edat, ratus se notari.

Aliiquid ex proposita tibi patina offerre indecorum existimo, ni multo maior sit donantis conditio, ut donatus honori id sibi ducat. Sed quid demum hac de re sit statuendum, oblati ne recuses; nam contemnere videbis offerentem.

Poculis aliquem invitare, haud laudabilis res est. Quod si invitatus fueris vel recusabis, vel libabis, ne detrectare videaris. Et quamvis nonnulli affirment, pericula saepe adeuntem mortis securum fieri, eademque ratione, qui intemperantiae indulget, eum temperantem et bene moratum evadere, vera mihi videtur contraria sententia. Quum Socrates nocte quadam tanto se mero ingurgitavit, nullam inde retulit laudem, nam capacitatis ratione infra vas viarium subsistit. Quod si nullam ex hoc passus est molestiam, id fortis stomacho, non hominis continentiae est, tribuendum.

Veste, et praesertim tibialibus, ne te exuas in hominum consessu neve in propatulo calcearia cingas. Neque crinem pectere, neque manus lavare coram ceteris licebit.

Sunt quibus in usu est os vel oculos identidem torquere, vel buccas inflare, vel spiritum vehementius emittere, vel alia simili ratione vultuosum esse. Hisce omnibus prorsus est abstinentum.

Quod autem de deformibus vultus actibus dico, idem de ceteris corporis membris est intelligendum. Indecorum est enim et linguam exercere, et putidius sibi barbam mulcere, quod multi facere consueverunt, et manum manu fricare. Neque suspiria decet et doloris voces emittere; nec tremere, vel se commovere; neque se pretendere, vel se protendentem suaviter exclamare: « Hei! Hei! », ut rusticum stramine excitum.

Qui mirabundus atque interdum contemnens ore strepitum edit, rem foedam imitatur. In risu cave ne rationem aut modum aut decentiam excedas. Neque consuetudinis gratia ridebis, vel intempestive; nec de tuis dicterioris rideas velim, quod idem est atque ab ipso te laudari.

Modus etiam est habendus in corporis motibus, praesertim inter loquendum; nam saepe accidit ut aliqui ita ad ea, de quibus sermo est, attendant, ut de reliquis nihil pensi habeant. Hic caput agitat; ille torvis limisque oculis aspicit. Nonnulli etiam in vultum colloquientium exspuunt. Sunt etiam qui manibus, quasi flabeilo, muscas tibi arcere videntur. Idem dicendum de aliis id genus; quae nec omnia colligas, nec colligere ego aggrediar.

#### CONCLUSIO.

Id nolim profecto credas, quod singula labeculae sint, universa quoque esse. At quo minora sunt, eo diligentius inspicienda; nam sensim et paullatim irrepentia vix animadverteris. Et sicuti parvae impensae, si perpetuae, patrimonium sensim atterunt, ita naevi frequentiores furtim corrumpunt exquisitam urbanitatem.

I. S. P.

## ANNALES

### Europaei belli finis.

Quod erat diu in votis omnium Italorum; quod diurnis atque asperrimis pugnis est conquisitum; quodque animis viribusque coniunctis frustra obtinere antea adlaboravimus, sumus tandem feliciter consequuti. Tridentum enim atque Tergeste, die III elapsi mensis Novembris, ad communem Italicarum provinciarum conventum pervenere. Neque sine divina factum voluntate apparuit, quo ipso die Tergestina civitas maiori cultu Iustum martyrem protectorem adorabat, Italicam classem ad eius portum appulisse, quae inter populi laetitiam honoribus uti soror accepta, finem tandem diutinae servitutis imposuit.

Insequenti die industiae inter Austriacos atque Italos eorumque socios feriebantur, per quas Austro-Hungarici imperii tum terrestres tum marinae aeræaque vires,

a Germanico mari ad Helvetiam operantes, dimitterentur, hostium loca quavis ratione subacta desererentur, quinimo in fidei pignus alia Austriaci ipsius imperii hostibus tenenda relinquenterunt; ingens denique belli facta praeda magnusque tormentorum numerus cederetur. Occupata itaque sunt Alpium iuga ab Umbrail cacumine ad septem triones Stelvii montis, Athesisque fluminis et Isargi fontes; et Reschen, Brenneri, Oetz, Ziller, Toblachi fastigia; et Predel, Mangart, et Tricornum; Podberbo, Podlaniscau Idriaque oppida; atque per Nivosum, quem appellant, montem, regio a mari acclivis. Praeterea Curzolanae insulae et Lussin, Abbatia Flumenque urbes in Quarnero sinu, oppidaque Istriani litus atque Dalmatici, et Pola urbs et Sebenicum. Nostri antea in Albanensibus finibus Medua urbe capta, Scutarim, Dulcignum, Antivarimque ad urbem pervenerant; Serbi Bellogradum, suae civitatis caput, recuperaverant.

\* \*

In occidentalibus oris Anglogallici, simulque Americani et Belgae, Scaldi flumine superato, Teutones ad receptum coegerant ab ipso flumine ad Aisne, ad Mosam, ad Oise, ferriviamque Bruxellis Divodorum pergente interciderant. Dum autem res hisce sunt in angustiis, en die VI mensis Novembris, Germanorum legatio Berolino profecta nunciatur, ut essent Germanis quoque industiae, postulatura; quae quidem insequenti die XI iis conditionibus concessae sunt, quae ditionis ominino essent: non enim aliter in tuto fore, Teutones vere arma deponere velle. Itaque Belgica, suo iuri restituta, doloris tandem immeritaque ruinae finem vidit, Albernumque regem suum inter ovantem populum recepit; et Gallia quoque non recens tantum avulsas regiones redemit, sed Alsatiam Lotharingiamque, prope quinquaginta annorum non intermissum sui animi siderium. Germanica autem classis Anglorum custodiae dedita est; ac sociatorum populorum tutelae commissae Germanicae

iuxta Rhenum flumen provinciae et urbes, inter quas Moguntiacum, Confluentes, Colonia Agrippina.

Hic vesani belli finis, quod quum fatale exstitit eius auctoribus, ita in populorum futuram salutem cedat.

\*\*

Atvero et regnorum, quae victa sunt, civiles eventus recolere oportet, qui una cum militaribus recens facti sunt.

Diximus in superiore recensione nostra, Czecho Slovacas et Jugo-Slavas gentes sui iuris sese edixisse ac fuisse recognitas; pariterque ex Austriae vinculis sese solitam declarasse Hungariam; addendum hodie est, Carolum I Hungaricum regnum abdicasse, postquam edicto iam sese a publicis totius imperii negotiis remotum enunciavit; atque Austriaci imperii incolas e Teutonica gente liberos et ipsos se esse professos, quamquam adhuc nutantes, utrum Germanicae liberae foederationi accedant, an Rhenanae.

In dissolutione enim Germanici quoque imperii, quae pariter accidit, partes duae maxime de principatu contendunt, Borussia et Bavaria, cui quidem cives inferiorem Germaniam prope Rhenum incolentes accedere maxime videntur. Illic, Guillelmus Caesar eiusque filius imperio cessere et in Bataviam se receperunt; hic rex ex ordine suo est deiectus; illius exemplum Wurtembergi rex est imitatus; huius sors Saxonie regi contigit: ubique in libertatem populi vindicata est res publica.

Sperare liceat fore ut qui pacis conventus proxime succedet, et nationum quae invocatur societas, simultates omnes compescere, omniaque in tranquillitatem ordinis, ad verum populorum bonum utili- humani generis progressum, adducere valeant; sitque hoc pro anno MCMXIX faustum omen felix augurium!

Kalendis Decembribus MCMXVIII.

POPICOLA.

## ROMA SACRA

Benedicti PP. XV litterae encyclicae ad Episcopos universi orbis de conventu pro pace componenda.

Quod iam diu orbis terrarum anxie expebat, quod christiana gentes omnes magnis precibus implorabant, quod Nos, ut communium dolorum interpres, paterno erga omnes studio instanter quaerebamus, id momento factum cernimus, ut arma tandem conqueverint. Nondum quidem crudelissimo bello finem solemnis pax imposuit; sed tamen pactio illa, qua caedes et vastationes terra, mari caeloque intermissae sunt, ianuam adiutumque ad pacem feliciter patefecit. Quae rerum subita commutatio cur evenerit, multiplices variaeque sane possunt caussae affiri: verum si ultima et summa ratio quaeritur, ad Eum demum mens attollatur oportet, cuius nutu moventur omnia, qui, sollicita bonorum comprecatione ad misericordiam inductus, dat humano generi ut a tam diurno angore luctuque respiret. Itaque pro tanto beneficio ingentes benignissimo Deo agendae sunt atque habendae grates: gaudeamus ob eam rem in orbe catholico crebras et celebres pietatis publicae significantes factas esse. Nunc autem illud est a Dei benignitate impetrandum, ut collatum mundo beneficium ac munus cumulet quodammodo et perficiat. Scilicet propediem in unum convenient qui, populorum mandato, debent iustum mansuramque pacem orbis terrae componere. Deliberatio iis habenda est talis, qua nec maior unquam nec difficilior in ullo hominum consilio habita esse videatur. Nimium quantum igitur divini luminis ope indigent, ut recte possint mandatum exequi. Quum vero communis salutis hoc vehementer intersit, profecto catholicorum omnium, qui, e sua ipsorum professione, humanae societatis bono et tranquillitati student, officium est « assistricem Domini sapientiam » eisdem delectis viris comprecoando conciliare. Huius officii Nos, quotquot sunt

catholici homines, commonefiant volumus: quare, ut e proximo conventu magnum illud Dei donum exsistat, quod est vera pax, christianis iustitiae principiis constituta, vos, Venerabiles Fratres, *Patri lumen* propitiando publicas ad arbitrium vestrum supplicationes in unaquaque vestrarum dioecesum paroecia indicere maturabitis. Nostrum vero erit, quum Iesu Christi *Regis Pacifici* vices, quamquam nullo merito, geramus, pro apostolici muneri vi et auctoritate contendere ut, quae ad tranquillitatem ordinis et concordiam toto orbe perpetuandam consulta erunt, ea volentibus animis ubique a nostris excipientur, inviolante serventur.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I mensis Decembris MDCCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV



### VACUI TEMPORIS HORA

Qui sequuti nuper eventus per Europam sunt, tam longe lateque **indutiarum** nomen prolatarunt, ut et memet impulerint ad scriendum de iis; quales nempe apud veteres fuerint quibusque ritibus fierent.

Atque primum, quisnam indutiarum auctor?

Profecto res in temporum obscura delabitur: alii enim Theseum indicant, Mercurium alii, et Iacob, et Moysen; certe, quum huiusmodi actio conformis admodum cum ratione sit, eam a longissima antiquitate reperere haud temere licet.

Quidquid fuerit, apud Romanos ita indutiae feriebantur: Sacerdos *Facialis*, pura herba coronatus, acuto lapide coram hoste porcum sauciabat, haec aut similia verba promens: — « Ita a love is saucietur, qui fidem huius pactionis rumpat! »

Polybius auctor est, in indutis a Romanis cum Carthaginiensibus ictis, arrepto lapide, haec verba a *Faciali* elata: « Si has indutias sine dolo paciscor, omnia mihi bene vertant; si fraudandi causa, peream ut iste lapis a manibus meis progreditur! » Quae quum diceret, lapidem excutebat.

Apud Graecos pariter in indutias *Facialis* sacerdos consentiebat.

Scytha pateram mero implebant, seque quum sauciassent, sanguinem in pateram ipsam suaque arma effundebant, ei maledicentes, qui indutias esset forte perfractus; denique vinum ita cruentatum potabant.

Arabes legatum ad indutias electum medium inter duos viros constituebant, quorum palmam iuxta digitum pollicem usque ad sanguinem is lapide percutiebat. Vellere deinde ab utriusque veste abstracto eoque in sanguine e vulneribus manante madefacto, lapides septem ad rem appositos per ipsum oblinebat, Dionysium Uraniamque invocans. Quo ritu absoluto, legatus sese obsidem dabat ei, a quo ut essent indutiae fuisse postulatum.

Apud nos, contra, viros fortes, qui religionis vinculis nos liberavimus, quique humanitatis ingenuitatisque tempore vivimus, ut fidem indutis praestemus, in id adigimur, ut hostem ad ulterius nocendi impotentiam omnino adducamus.

\* \*

Sit tandem huiuscemodi satisdatio diurnae veraeque pacis pignus, qua imponatur novae aetati initium; novae, inquam, aetati, in qua omnes non hominem homini lupum sentiamus, sed fratrem fratri in mutua dilectione et caritate. Arrideat igitur bona spes, fore ut proxime in hanc Urbem, universi orbis caput et matrem altricem, gentes undique sollemniter conveniant ad humanos huiusmodi civilesque cultus in summa Capitolii arce celebrandos, Deoque Optimo Maximo eas grates simul agendas atque iterandas, quas Romani cives ad *Aram Caeli* die IX huius mensis Novembris, depositis partium aut factionum contentionibus, adstante regalis domus Principe, qui regio munere pro tempore fungitur, cum Purpurato Patre Supremi Pontificis in Urbe Vicario laetantes exsolvimus!...

## Icosa

Magister, Tuccio:

— Ehus tu! Quo nomine simul appellantur belluae, quae arripunt necantque innoxia illa animalia, oves, capras, agnos, cuniculos, etc.?

TUCCIUS haud moratus:

— Lanii!

Et Tuccius *influentiae* morbo graviter laboravit; medicus tamen ei nunciare potuit iam a mortis periculo esse liberum. Tum noster amantissime:

— Nunquam a mente mea excidet, me sollertiae tuae vitam debere!

— Optime quidem; sed ne excidat pariter medicales accessus triginta a te mihi deberi.

— Ecquid dubitas? Quum primum convaluerio fasque erit domo iterum exire, totidem, imo plures visitationes tibi reddam.

\* \*

## Aenigmata

I

Dum Romana stetit virtus, vel matribus auctus

Est honor et cultus nomine perpetuo.  
Signat vox eadem, flexu breviata, fluentum,  
Quo magis nigrescit Sequana dives aquis.

II

Arcanum mala terrigenis tulit; idque salutem Fert, ipsum a planta dummodo perlegeres.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-sita his respondent: 1] *Bractea turrium*; 2] *Mors.*)

IOSFOR.

## LIBRI DONO ACCEPTI

I. B. FRANCESIA. *Commentarius de Francisco Cerruti* sacerdote. — S. Benigni in Sallassis, ex officina Salesiana.

*Ricordi dell' umile Italia*. Dal Canzoniere Civile di GIULIO SALVADORI. — Augustae Taurinorum edid. Libraria Editrix Internationalis (Corso Regina Margherita 174-176) — Ven. lib. 4.

# AD "CARCEREM,,

9)

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AMBR. Et si non video?  
 RECT. Videbis utique.  
 AMBR. Sed!...  
 RECT. Quid sed? Abis, an non? I, pro-  
       [pera!  
 AMBR. Vado, nec dubita, Vapulem ne dum-  
       [modo.]  
 SCENA III.  
 RECTOR *solum*.

Abit... Homo nec curiosior manet  
 Hoc in terris, etsi nullo fidelior....  
 Tamen molestum quam est hoc servorum  
       [pecus!] In primis ianitor vanus, stultiloquus,  
 In rebus latus, longus sed interrogans,  
 Aedes qui visitant occidit quaeritans....  
 At est fidelis!... Est sed curiosissimus....  
 Ad rem quid interest? Ad me nunc redeo....  
 Quot res succedunt, modo quae terrificant,  
 Modo ad supernas regiones adferunt!  
 Homo, qui nulla profert se praesentia,  
 Imo, quid dicam? comparet modestior,  
 Habet sed attamen loquendi spiritum  
 Dulcem, mellifluum, raptorem pectorum....  
 Domus quae nostrae spiritus mutatio!  
 Sui sunt omnes, qui erant ferae pessimae!  
 Suum peccatum fusis flent et lacrimis,  
 Bonosque dicunt victurosque in posterum....  
 Meo sed capit magna tempestat ingruit.  
 Eis enim ipse verbis conceptissimis,  
 Promisit velle deambulatum ducere,  
 Solus cum solis, et remotis arbitris....  
 Sed administer clarum responsum dedit:<sup>2</sup>  
 « Libentius tibi alacer permittimus  
 Ut sinas libere sua custodia  
 Exire et duci nullis et custodibus  
 Alit quot pueros potestas publica  
 Ad Generala vulgo sicut dicitur.  
 Huic Sacerdoti mille prae virtutibus

Damus liberrime quae sitam copiam,  
 Omne mandatum suo de consilio  
 Ut ipse quaerit, imperamus facias.  
 Dari sic nobis in praemium placuit ».  
 Eruntne firmi? Stabunt in proposito?  
 Sunt nam puelli mobiliores vimine:  
 Modo ad sinistram vertunt, modo ad dexte-  
       [ram.

Scio quod longa doctus experientia  
 Ab uno pendet promotio proxima,  
 Quo fungor muneric sollertia maxima.  
 Quid accidet vero, si vel unus fugerit?  
 Quid, ni fecisset autem quod promiserat?  
 Tamen promisit parvula prudentia....  
 Ego sic currere in ruinam dicerem.  
 Adhuc puer, credit promissis iuvenum.  
 Quid ipsis leviter prudens si obstiteris?  
 Explodent illico ut pulvis ignivomus,  
 Erunt et omnes fuerant ut antea.  
 Erit sat attamen quod sint interea  
 Boni, benigni, mansuetiores moribus,  
 Obliti omnino temporis praeteriti....  
 At nondum redit Ianitor Ambrosius.  
 Meo molesta pectori quam tarditas!

## SCENA IV.

EUSEBIUS, *mox* AMBROSIUS, *et* RECTOR.

RECT. Novi quid affers? Vidisti?...  
 EUSEB. Vidi, probe!  
 Apes ut adsolet commorari simul  
 Suam reginam comitari et adsequi,  
 Nec unus quidem, nec tantis versum  
       [digitum,  
 Et audiunt, vident laetantes alacres  
 Adstant ad latus Sacerdotis, compri-  
       [munt....  
 Probe quam nostra clauditur comoe-  
       [dia! (Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.  
 ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## INDEX RERUM VOL. V

(AN. V — FASC. I-XII)

PAG.		PAG.
1, 81, 96, 169	Pax ( <i>F. X. Reuss</i> ) . . . . .	86
	Antigone ( <i>A. Faverzani</i> ) . . . . .	100
	Benedicto XV in diem III mens. Septem- bris MCMXVIII, quarto exeunte anno, ex quo electus est Pontifex Maximus ( <i>Fr.                  X. Reuss</i> ) . . . . .	116
	Belli origo. Fabula ( <i>R. Castelli</i> ) . . . . .	140
	Tibur ab Othonis obsidione liberatum ( <i>P. Spina</i> ) . . . . .	158
	Alsatiæ liberatae ( <i>Fr. X. Reuss</i> ) . . . . .	176
	<b>Communia vitae.</b>	
	De argentariorum schedulis, quae vulgo dicitur « Biglietti di banca » ( <i>Subal-                  pinus</i> ) . . . . .	26
	Capsa cibos concoquens nunc ne primum in usu? ( <i>A. Fulconis</i> ) . . . . .	43
	De verbis salutatoriis ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	60
	De lectulis eorumque per saecula varietate ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	91
	Invitatio ad caenam ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	142
	<b>Historica.</b>	
	Hierosolyma urbs a Christianis capta Idibus Iuliis MXCIX (Ex opere <i>Guillelmi Tyrii</i> , cui titulus Belli sacri Historia) . . . . .	13
	Quadrinagesimo redeunte anno ab inita Lutheri « reformatione » historiae me- moriae ( <i>P. Paschini</i> ) . . . . .	33
	De Ioanne Vincenzo Gravina altera cente- naria die recurrente ab eius obitu ( <i>Ro-                  manus</i> ) . . . . .	103
	<b>Hygienicae notae.</b>	
	Pro hemicranio laborantibus ( <i>Fr. Anacesi</i> )	44
	Quomodo et quamdiu est dormiendum ( <i>Fr. Anacesi</i> ) . . . . .	74, 125
	Quomodo curetur insomnia ( <i>Fr. Anacesi</i> ) .	143
	<b>Inventa recentiora latine descripta.</b>	
	Navale facinus Aloisii Rizzo latinis versi- bus expressum ( <i>Fr. X. Reuss</i> ) . . . . .	41
	Ferrivia, Photographia, Telegraphus, Pa- stilli Novarienses ab Amadio Ronchini descripta ( <i>C. Ronchetti</i> ) . . . . .	108
	<b>Litterae et Philologia.</b>	
	De nonnullis psalmis Davidicis Hierusalem urbem celebrantibus ( <i>Fr. X. Reuss</i> ) . . . . .	4
	De dramate sacro Petri Calderon, cui ti- tulus « Mysteria Missae » ( <i>I. B. Fran-                  cesia</i> ) . . . . .	38
	Quam sit dolendum quod ipsis in Semi-	

<sup>1</sup> Exit.

<sup>2</sup> Legit litteras.

	PAG.
nariis latinus sermo consenserit ( <i>A. Au-relj - Alma Roma</i> ) . . . . .	65
Novae res, nova verba ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	85
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXVII . . . . .	86
De litteris apud Romanos ineunte saeculo Christiano ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	97
I. V. Gravina suo et nostro tempore latinatus adsertor et vindex ( <i>Romanus</i> ) 118, 137	
Certamen poëticum ex legato Hoeufftiano in annum MCMXVIII indictum . . . . .	126
De antiqua Christianorum lingua ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	133, 170
Qua ratione sibi quisque latine dicendi modum comparare possit (Ex litteris <i>A. Fulconis</i> ) . . . . .	159
<b>Libri dono accepti</b> . . . . .	183
<b>Librorum recensio</b> . . . . .	41, 109
<b>Necrologia.</b>	
Antonius Manno ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	61
Franciscus-Salvatore Dino ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	128
<b>Oeconomicae et sociales quaestiones.</b>	
De iuventute ( <i>Senior</i> ) . . . . .	185
Ingruit hora ( <i>I. Tonio</i> ) . . . . .	151
(Vide etiam <i>Scripturae diurnae spicilegium</i> ).	
<b>Philosophia ac Theologia.</b>	
De Christianae sapientiae scriptoribus ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	53
De Duplici rerum ordine, ex quo existentia Dei colligitur ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	117
De Christi nati scientia ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	171
<b>Pro iunioribus.</b>	
De urbanis moribus ( <i>I. S. P.</i> ) 28, 45, 75, 109 145, 163, 179	
<b>Roma Sacra.</b>	
Benedicti PP. XV litterae ad Episcopos Insubris regionis de calumniarum odique insectatione, qua Summus Pontifex eiusque opera in diuturna hac rerum publicarum subversione lassessitur . . . . .	111
Commissio Pontificia ad Codicis iuris Canonici canones rite interpretandos:	
De irregularitatibus aliisque impedimentis	
De matrimonio . . . . .	130, 147
Benedicti PP. XV litterae encyclicae ad Episcopos universi orbis de conventu pro pace componenda . . . . .	182
<b>Scenicae fabulae.</b>	
Ad « Ad Carcerem » ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	18
32, 50, 82, 114, 132, 150, 168, 184	
<b>Scripturae diurnae spicilegium.</b>	
De bello quod sub fluctibus geritur ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	77
Pondus navium mensibus XIV amissarum ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	78
Canit bucina, in navi militari, sicerae ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	126
Aéronauta, nonaginta in hora passuum millia emetiens, resarcit machinam ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	127
Germanicum de militibus Americanis iudicium ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	145
Erratica bellatoris aërii vita ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	162
De nationum societate ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	174
<b>Vacui temporis hora (Iosfor).</b>	
De diebus - De horis . . . . .	16
Sinarum mores . . . . .	17
Quadragesimale tempus . . . . .	30
Canones de abstinentia et ieunio . . . . .	31
Chartaceae vestes . . . . .	48
Sericum . . . . .	48
Bombycinæ vestes, Vestis subserica, [Rasum, Damascum, Villutum, Textilia, Fullonia ars, Attalicae et Phrygianæ vestes	49
De tesseris . . . . .	63
De nonnullis ludorum generibus (Talus, Taxillus, Alea, Chartae lusoriae, Par impar, Digits sortiri, Micare, [Calculi) 79-80	
Studiорum periculum . . . . .	95
Pappatacia . . . . .	113
Puckleia catapulta . . . . .	113
Capitis tegumenta . . . . .	130
Turriti galeri origo . . . . .	130
Peregrinantes . . . . .	148
Lassitudinis remedium . . . . .	148
Morbus, cui ab « influentia » vulgo nomen	
Tempestatis praesagia . . . . .	166
Indutiarum ritus apud vetere populos . . . . .	182
Locosa . . . . .	17, 31, 49, 64, 81, 131, 149, 167, 183
Aenigmata . . . . .	17, 31, 49, 64, 81, 96, 113 131, 149, 167, 183
<b>Varia.</b>	
De Cinematographo ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	20
Ex castris ( <i>C. Buccaldius</i> ) . . . . .	25
De « xylolinio » ( <i>A. Fulconis</i> ) . . . . .	73
Quinquagenaria Salesianorum sollemnia ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	90
Quo morbo oculi sensum amisit Franciscus ab Assisio ( <i>Fr. X. Reuss</i> ) . . . . .	109
De Ferdinando Foch ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	155
Maenennii Agrrippae apolodus insigniter commutatus ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	160
<b>Vetera et Nova.</b>	
De navibus in profundo mari navigantibus ( <i>I. Fornari</i> ) . . . . .	58, 123, 140
Catapultæ pneumaticæ . . . . .	59
Odometron-Taxametron ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	106
De hodiernis machinis bellicis, quae vulgo tanks appellantur ( <i>I. Fornari</i> ) . . . . .	177

C.DEL VECCHIO